



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Distinctio quadragesimasexta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

ceretur, sed solum ad hoc quod prius cognitum intensius cognosceretur. Restat ergo quod in actione beata non est mutatio nisi sit alia secundum numerum, & sic non esset eadem beatitudo qua semper aliquis esset beatus, quod est inconueniens. Relinquitur ergo quod ea que non semper cognoscuntur a beatis non cognoscuntur cognitione beata, & hæc fuit maior. Minor autem declarata est, sequitur ergo conclusio. Si autem loquamur de cognitione reuelationis, sic dicendum est quod omnes beati cognoscunt nostras orationes siue mentales siue vocales que ad eos diriguntur: quia secundum beatum Aug. & habetur in litera dist. 49. ad beatitudinem requiritur quod unusquisque habeat recta voluntate vult cognoscere ea que ad ipsum pertinent, & ideo beati quibus nulla reusitudo deest volunt cognoscere ea que ad ipsos pertinent & cognoscunt, sed orationes quas ad eos dirigimus eo ipso ad ipsos pertinent tanquam ad mediatores inter nos & Deum, ergo beati illas orationes cognoscunt, & cum hoc non sit cognitio naturalis vel beata, ut probatum est, relinquitur ergo quod hoc sit cognitio reuelatoria que pertinet ad beatitudinem accidentalem.

9 AD primum arg. dicendum est quod quanuis sancti sint in maxima charitate, habent tamen voluntatem suam plenarie conformem voluntati diuine, propter quod quanuis habeant affectum charitatis ad uiuentes, tamen non eis auxiliantur nisi secundum quod vident in Dei scientia & voluntate esse dispositum: frequenter tamen auxilium ferunt uiuentibus sua intercessione apud Deum quanuis nos laeant.

10 Ad secundum dicendum quod cogitationes cordium solus Deus nouit per seipsum: sed beati nouerunt quatenus eis diuinitus reuelantur.

11 Ad tertium dicendum quod Aug. loquitur de cognitione naturali per quam mortui nesciunt facta uiuentium, & multo minus cogitata, beati tamen talia cognoscunt quando ad eos diriguntur, & si non cognitione naturali vel beata, cognitione tamen reuelationis ea cognoscunt. Abraham autem de quo loquitur beatus Aug. & ex quo sumit argumentum non erat beatus quando illa uerba dicta fuerunt per Esaiam: cum ante passionem Christi nullus ad beatitudinem admissus fuerit.

Sententia huius distinctionis. XLVI.  
in generali & speciali.

**S**ed queritur hic. In precedentibus determinatum est de statu animarum ante iudicium, hic determinat consequenter de pertinentibus ad iudicium. Et primo intendit determinare diuine iustitie & misericordie modum. Et diuiditur in duas. Primo enim determinat de iustitia & misericordia diuina quantum ad damnatos. Secundo quantum ad omnes in uniuersali ibi, sed quomodo iustitiam. Prima remanet indiuisa. Sed secunda diuiditur in duas. Primo enim comparat eas ad inuicem. Secundo respectu operum diuinorum. Prima ibi, Dei iustitiam. Secunda ibi, Post hoc considerari oportet.

1 Proponit ergo Magister quandam questionem, utrum circa damnatos sit aliqua Dei misericordia. Et opponit quod non per multas autoritates. Deinde subdit penas damnatorum nunquam finiendas. Deinde ponit quod circa damnatos est misericordia in pena mitigatione, non tamen in totali relaxatione nec in occulta peccatoris reuocatione. Deinde querit quomodo in omni opere diuino concurrat misericordia & bonitas. Et respondet quod hoc ideo dicitur, quod cum sit duplex aduentus Christi, unus misericordiam alius iustitiam recipit, vel hoc pro tanto dicitur quo ad deum minus mala declinando per iustitiam & bona opera per misericordiam faciendo: vel in primo aduentu est misericordia in secundo erit iustitia. In fine ponit duas opiniones circa hoc, &c.

QUESTIO PRIMA.

Utrum iustitia sit in Deo.

**C**irca distinctionem istam primo queritur, utrum iustitia sit in Deo. Et videtur quod non: quia illud quod non est bonum nisi ut medicina non est bonum simpliciter nec in Deo ponendum, sed iustitia saltem vindicativa

non est bona nisi ut medicina, ergo talis non est in Deo ponenda. Maior patet, quia quicquid est in Deo formaliter, videtur dicere bonum & perfectionem simpliciter: quod autem est bonum solum ut medicina non est bonum nisi secundum quid & propter aliud. Minor probatur quod pena que infligit iustitia vindicativa sunt medicine respectu peccatorum, sicut dicitur. 2. Ethicorum.

2 Item ridiculum est laudare Deum secundum aliquam virtutem moralem, siue secundum actus virtutum moralium, ut dicitur. 10. Ethicorum, sed iustitia est virtus moralis, ergo non est Deo attribuenda. Et confirmatur, quia temperantia que diuiditur contra iustitiam non est attribuenda Deo.

3 Item dominus ad seruum non est proprie iustitia, ut dicitur. 3. Ethic. sed Deus comparatur ad creaturam sicut dominus ad seruum, ergo Dei ad creaturam non est aliqua iustitia: contra: autem quod non est aliqua iustitia Dei ad seipsum, cum iustitia semper sit ad alterum, ergo &c.

4 IN contrarium est scriptura in quamplurimis locis que Deo iustitiam attribuit. Et arguitur per rationem: quia illud quod est nobilissimum est deo attribuendum, sed iustitia est nobilissima & preclarissima omnium virtutum, ut dicitur. 3. Ethic. ergo est Deo attribuenda.

5 **R**ESPONSIO. Circa questionem istam primo videndum est in quo consistit ratio iustitie, & quomodo dicitur. Et secundo apparebit quod queritur, scilicet per quem modum iustitia sit Deo attribuenda.

6 Quantum ad primum sciendum est (ut dicitur. 3. Ethic.) quod iustitia proprie dicta constituit equalitatem in accipionibus & dationibus, hoc autem fit dupliciter. Uno modo secundum quod constituitur equalitas inter dante & accipientem, ut scilicet accipiens tantum accipiat a dante quantum e conuerso, & in tali equalitate consistit iustitia commutativa que ponit medium equalitatis in emptionibus & uenditionibus, & in omnibus retributionibus. Alio modo constituitur equalitas inter duos recipientes, ex hoc quod uterque equaliter recipit a tertio secundum quod dignus est, & in hoc consistit iustitia distributiva. In prima ergo iustitia, scilicet commutativa requiritur equalitas quantitatis, ut scilicet tantum quisque accipiat secundum ualorem quantum dedit, & ideo inter illos quos non potest esse equalitas quantitatis in datis & acceptis non potest esse iustitia proprie dicta, sicut est inter illos quorum unus non potest reddere aliquid equalens beneficiis acceptis ab alio: sicut filius non potest reddere aliquid equalens beneficiis patris a quo accepit esse nutrium & eruditionem, propter quod quantumcumque filius retribuit patri in obsequio, nunquam est ibi perfecta equalitas, propter quod non soluitur ibi proprie ratio commutative iustitie, sed tantum aliquis modus in quantum filius retribuit quod potest secundum modum suum, sicut pater dedit secundum modum suum, ut loco equalis secundum quantitatem sumatur possibile & proportionale.

7 Sed iustitia distributiva non requirit equalitatem quantitatis, sed proportionem: non enim oportet quod distribuens bona communiter distribuatur equaliter omnibus, sed unicuique proportionabiliter secundum quod est dignus, ex quo apparet quod iustitia distributiva per quam bona communia distribuuntur primo attendit ad proportionem personarum ex qua concludit proportionem rerum distribuendarum. Sed commutativa iustitia e contrario primo respicit ad habitudinem rei ad rem, sicut patet in commutationibus, puta in emptione & uenditione, vel ad habitudinem actionis ad passionem ut in iniuriis vindicandis & puniendis, ad conditionem autem personarum nunquam principaliter respicit: non enim bos debet magis vel minus vendi unquam alii, si autem respiciat conditionem personarum hoc non est nisi ex consequenti in quantum conditio personarum facit aliquid ad quantitatem rei vel iniurie, sicut maior est iniuria si percutiatur princeps quam aliqua alia priuata persona. Et videtur saluo meliori iudicio quod iustitia distributiva magis debeat ex commutativa quam e conuerso: quia iustitia distributiva est in distribuente per quam tenetur bona communiter distribuere proportionabiliter personis communiter secundum uniuscuiusque dignitatem. Hec autem sententia oritur habet ex hoc quod ipse obligatus est communitati habet ex communitate

nitate & honorem regiminis & stipendia laboris, ratione quorum ipse tenetur communitati quasi per quandā commutationem ad recompensandum bona quae recipit pro ipso quod facit: ut quādo honores & officia communitatis dat vnicuique secundum quod est dignior & vtilior communitati, alioquin est verē iniustus in nō reddendo communitati id quod debet pro eo quod accepit.

8 Ex his ad propositū respondetur quando queritur, est ne in Deo iustitia? Dicedum est quod commutatio iustitia non proprie est in Deo, quia illa consistit in equalitate rei datae & acceptae, sed beneficiis diuinis non potest a creatura retribuī aliquid aequale, multo minus quod beneficiis patris carnalis. Et iterum: per commutationem proprie dicta res vnus sit alterius quae prius non erat eius, sed nihil est in creatura quod non sit ipsius Dei magis quod ipsius creaturae, ergo nulla iustitia commutatio potest proprie esse inter Deum & creaturā, potest tamen ibi esse quiddam modus iustitiae commutatio accipiendi pro equali possibile vel proportionale inquam creatura deo retribuit, quod potest secundum suā paritatem, sicut deus dat superabundanter secundum suā excellentiam & hoc in bonis. In malis autē attenditur iustitia commutatio inter Deum & creaturam inquantū creatura peccans tantum vel tantū contra Deū ex sua malitia puniatur a deo tantum vel tantū secundum condecentiam diuinā & non praecise secundū quantitatem culpae, quia sicut in bonis decet quod ex parte Dei sit excessus & ex parte creaturae sit defectus, sic in malis decet ut sicut ex parte creaturae sit excessus in peccando, sic ex parte Dei sit defectus in puniendo vel in assignando malum poenae quod idem est: quando autē dicimus nunc ex parte Dei esse excessum vel defectum nō intelligitur hoc prout illa sonant in vitium, sed prout dicunt eminentiā ex parte Dei respectu creaturae in plus conferendo de bonis quā creatura digna sit, vel in minus inferendo mala quā creatura peccans mereatur, quod totum prouenit ex condecentia bonitatis diuinā.

9 Iustitia autem distributiva ponitur in Deo respectu creaturarum inquantum omnibus creaturis dat secundum vniuersitatis dignitatem. Nam secundum quod creaturae tenent secundū suam naturam altiore gradum in vniuersitate rerum, sic Deus eis confert nobiliores proprietates & nobiliores operationes quasi quaedam officia communitatis: vnde Dionysius. s. cap. de diuinis nominibus dicit, quod iustitia laudatur in Deo inquantum omnibus secundum dignitatem distribuit, quod est intelligendum de distributione immediatē dicta, quia distribuere praemia pro meritis, vel poenas pro culpis pertinet ad commutatio iustitia. Si tamen bene aduertamus iustitia distributiva sic accepta in Deo non proprie accipitur, quia iustitia proprie accepta semper includit debitum, sed distributio qua Deus rebus naturalibus confert vnicuique secundum gradū dignitatis suae non prouenit ex aliquo debito, sed solum ex eius liberalitate, ergo ibi non est proprie iustitia distributiva. Et confirmatur, quia iustitia distributiva saltem proprie dicta ortum habet ex commutatio, ut dictum fuit, sed talis iustitia distributiva non potest in Deo ortum habere ex commutatio, ergo &c. Patet ergo quod iustitia in deo tam commutatio quā distributiva non est aliud quā condecentia diuina in redditione praemiorum & poenarum, & in distributione proprietatum & principiorum agendi prout cōgruit substantiae vniuersitatisque rei.

10 AD pri. arg. dicendum per interemptionē minoris quod vindictiua iustitia non est solū bona ut medicina, quia eadem iustitia est qua praemiantur boni & puniuntur mali, quāuis sit alius actus hic & ibi secundū diuersitates materiae: & quia bonum est non solū punire malos sed & praemiare bonos, ideo iustitia non solum est bona in ratione medicinae, quatenus est punitio malorum, sed est bona quatenus est praemiatio bonorum: est etiam bona secundum se, quatenus est rectitudo voluntatis ordinans aliquid ad illud vel ad alterum.

11 Ad secundum dicendum est quod ridiculum est ponere virtutes morales in Deo per comparisonem ad materiam civilem, puta ad emptionem & venditionem, & sic non ponitur iustitia in Deo, sed per cōparationem ad distributionem bonorum naturalium vel ad redditionem praemiorū & poenarum, potissimē quae excedunt civilem

vitam potest poni in Deo iustitia. Nec est simile de temperantia & iustitia, quia temperantia est circa passiones inanas quae non possunt poni in Deo, sed iustitia est circa actiones extrinsecas quae possunt Deo attribui.

12 Ad tertium dicendum est quod bene probat inter Deum & creaturam non esse iustitiam proprie dictam, sed quidam modus iustitiae prout inter eos inuenitur aliqua proportio sicut inter dominum & seruum: vnde Philosophus. 7. Ethic. distinguit iustum dominantium a iusto politico quod est proprie iustum.

#### QUESTIO SECVNDA.

Utrum poena aeterna debeat peccato mortali.

Secundū queritur vtrum poena aeterna debeat peccato mortali. Et videtur quod non, quia duorum peccatorum mortalium vnū est grauius altero, ergo secundum iustitiam vnū debet puniri maiori poena quā alterum, sed nulla poena maior potest esse quā aeterna, ergo non omne peccatum mortale est puniendum iuste poena aeterna.

2 Item poenae sunt medicinae, ut dicitur. 2. Ethic. sed poena aeterna nullius est medicina, ergo nullum peccatū est puniendum poena aeterna. Minor probatur, quia poena aeterna nō est medicina ipsis damnatis, quia sunt inmendabiles, nec beatis, quia sunt impeccabiles, & praeter istos non erunt alii, ergo &c.

3 IN contrarium est quod dicitur Mat. 25. Ibunt hi in supplicium aeternum, Deus autem nullum iniuste puniit, quare &c.

4 RESPONSI O. Poena aeterna est poena infinita & ideo sub dubio est qualiter culpa quae videtur esse finita cum sit temporalis potest puniri iuste poena infinita. Distingendum est ergo de infinitate poenae, quia vel potest attendi secundū intensionem seu acerbitatē vel secundū durationem. Primo modo non est possibile dare poenam infinitam. 1. secundū acerbitatē seu intensionē, & si esset, nō infligeretur pro peccato mortali. Primum patet, quia in quacūque natura specifica est dare terminū in minus in illa est dare terminum in maius, hi enim termini sibi inuicem correspondent, sed in omni qualitate est necessarium dare terminum in minus, alioquin nunquā posset corrumpi per contrarium remittens ipsum, ergo in omni qualitate est dare terminum in maius. Si sic, ergo non potest in infinitum intendi. Et confirmatur, quia sicut in quantitate secundum se & absolute nō est dare terminum in minus, sed est diuisibilis in infinitum, ita in ea nō est dare terminum in maius, imō quātum est de se semper posset augeri in infinitū successiue, quare eōstrario, quia in omni qualitate & in omni re naturali habete latitudinem graduum est dare terminum in minus, ergo necesse est dare terminum in maius, nec posse esse processum in infinitū etiam successiue, & multo magis impossibile est quod sit actu infinita, cum ergo acerbitas poenae attendatur secundū intensionem qualitatis vel formae quacūque sit illa, patet quod nulla poena potest esse infinita secundum acerbitatē.

5 Secundū patet. 1. dato quod posset esse infinita intensionē, nō tamen infligeretur pro peccato mortali, quia prior est Deus ad reddendū praemium pro merito, quā ad infligendū poenam pro peccato, sed pro nullo merito quantumcūque magno reddet Deus praemii infinitū intensionē: visio enim beata erit finita in quocūque erit, ergo pro nullo peccato seu demerito quantumcūque magno infligetur poena infinita intensionē. Si autē loquamur de infinitate poenae quantum ad durationē, sic peccato mortali debetur poena infinita iuste: quia sicut est in ciuilitate mundana sic suo modo debet esse in ciuilitate diuina, sed in ciuilitate mundana sic est quod ille qui ex culpa sua subuertit quantum in se est pacem & amicitiam ciuium ad iniucē vel obediētiam ad principem meretur totaliter extirpari a ciuilitate per mortem, exiliū, vel per perpetuum carcerē, quae poena est perpetua secundum capacitātē subiecti, & secundum intensionē legis quo ad hoc ut imperpetuū non reuocetur ad societate communitatis cōtra quā deliquit, ergo eodem modo debet esse in ciuilitate diuina in qua cōgregantur homines in lege fidei & charitatis quod ille qui subuertit quātum est in se ordinē charitatis ad proximū vel subiectionis ad Deum quod sit per quodlibet peccatum mortale meretur totaliter extirpari a consortio Dei & sanctorum per mortem, exiliū, vel carcerem. Hae autem poenae sunt simpliciter

ter perpetuæ in ciuitate diuina. i. mors secunda, exilium à patria, & carcer inferni, quia & subiecti istarum pœnarum perpetuò durabit. Secundò patet idem quod manente culpa debet manere pœna, sed in damnatis perpetuò manebit culpa propter obstinationem mentis eorum, ergo perpetuò remanebit pœna. Tertiò, quia magis est peccator dignus pœna perpetua propter culpam suam quam iustus sit dignus præmio propter quodcumque meritum, quia iustus quantumcumque bene operetur propter deum in nullo confituit deum debitorem, & ideo præmiu non ei reddendū secundū debitū strictè sumptum, sed peccator voluntariè diuertens se ab obedientia respectu dei verè debet puniri secundū iustitiam, vnde est verè debitor pœnæ, sed iustus propter opus meritoriu præmiatur præmio æterno, ergo fortiori ratione peccator propter demeritum punitur iuste pœna æterna.

6 AD primum arg. dicendum quod quantitati peccati respondet quantitas pœnæ secundum intensiorem, vt quanto peccatum est grauius, tanto pœna sit acerbior: vtraque tamen pœna tam maioris quam minoris peccati mortalis debet esse duratione æterna.

7 Ad secundum arg. dicendū est quod pœnæ quantum ad institutionem sui sunt ad correctionē vt earū timore homines retrahantur à malis, sed quantum ad earum actuale infliccionem non semper sunt ad correctionē nisi pœnæ illæ quæ non sunt ad finalem exterminationē illius qui punitur: illa autē quæ sunt ad exterminationem possunt pro nunc esse ad correctionē aliorum qui vix pœna corriguntur, sed nunc sunt ad correctionē illius qui punitur.

#### QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum in punitione malorum concurrat diuina misericordia & iustitia.

**T**ertio queritur, vtrum in punitione malorum concurrat diuina misericordia cum iustitia. Et videtur quod non, quia Iac. 2. dicitur quod iudicium sine misericordia fiet ei qui non fecerit misericordiam, sed nullum iudicium grauius est punitione malorum, ergo in punitione eorum non est misericordia.

1 Item Aug. super Psal. Misericordia autem hic, & iudicium erit in futuro, ergo in iudicio futuro erit iustitia sine misericordia.

2 Item in præmiatione bonorum erit misericordia sine iustitia proprie dicta, quia gratia dei vita æterna, Rom. 6. Et ibidem cap. 8. dicitur quod non sunt condignæ passiones huius temporis, &c. ergo in punitione malorum erit iustitia sine misericordia.

3 In oppositum est quod dicitur in Psal. Vniuersæ viæ domini misericordia & veritas. Et Cassiodorus super Psal. 50. dicit, & habetur in litera quod hæc duæ res, iustitia & pietas, in omni iudicio dei adiunctæ sunt.

4 **R**ESPONSIO. Circa quæstionem istam videntur duo. Primum est, an in deo sit misericordia. Secundum est, vtrum misericordia sit in punitione malorum.

6 Quantum ad primum sciendum est quod misericordia accipitur dupliciter. Vno modo pro passione per quam committitur aliquis alicui patienti quasi partem passionis alterius in se ferens. Alio modo accipitur pro habitu vel actu voluntatis quo aliquis vult subleuare miseriam alterius; accipiendo primo modo misericordiam, ipsa non est in deo quia misericordia vt dicitur passionem includit in se tristitiam & pœnā, sed nec tristitia nec pœna potest esse in deo ergo nec misericordia vt est passio. sed accipiendo secundo modo misericordiam pro voluntate releuandi miseriam alterius sic est in deo, quia Deus nihil facit circa nos nisi vult, sed Deus per sua beneficia miseriam nostram frequenter subleuat, ergo in ipso est voluntas tales miserias subleuandi, & per consequens misericordia secundo modo dicta. Item omne commendabile simpliciter est Deo attribuendum, sed in potente misericordia maxime est commendabile: vt patet per Aug. de ciuit. Dei. cap. 5. vbi commendat Ciceronē qui in laudem Cæsaris sic locutus est dicens: Nulla de virtutibus suis nec admirabilior, nec gratior est misericordia, ergo ipsa est in Deo ponenda. Aduertendum est tamen quod cum nullus actus sit laudabilis nisi quatenus à ratione regulatur, ideo misericordia vel actus misericordiae non est Deo attribuendus nisi secundū ordinem sapientiæ suæ: propter quod sicut homo misericors non repellit laudabiliter nec virtuosè miseriam alienam nisi

quantum ratio indicat, sic Deus non repellit miseriam nostram nisi secundū quod ordo sapientiæ suæ iudicat eam repellendam, quæ si secundum ordinem sapientiæ diuine totaliter repellatur, vocatur misericordia libera, si verò non totaliter repellatur, sed aliquid de ea minuat, vocatur misericordia relaxans. & sic patet primum.

7 Quantum ad secundū dicendum est quod misericordia & iustitia accipiuntur quandoque largè, vt misericordia dicitur omnis voluntas faciendi bene alicui. Iustitia verò dicitur condecencia diuinæ bonitatis, & sic non solum in punitione malorum, sed in omni opere Dei concurrunt misericordia & iustitia: quia quæcumque deus facit, facit secundum condecencia diuinæ bonitatis & ex voluntate bene faciendi creaturæ vel illi circa quæ agit vel alii vel communitati, & hoc modo ex iustitia nascitur misericordia secundum Aug. quia ex condecencia diuinæ bonitatis vult deus facere aliquid boni creaturæ. Secundo modo accipitur misericordia & iustitia magis strictè, prout misericordia dicit voluntatè subueniendi miseris aliorum præter merita, iustitia verò dicit voluntatè retribuendi secundū exitum meritoriu: & hoc modo misericordia & iustitia non concurrunt ad omne opus diuinum, concurrunt tamen in retributione iustorum, & punitione malorum. De retributione honorum patet sic: quia reddere præmiū excedens meritum est opus iustitiæ & misericordiae, quatenus enim redditur præmiū pro merito opus iustitiæ est, sed in quantum meritū excedens est, est opus misericordiae sed in præmiatione iustorum redditur præmiū excedens meritum, cum non sint æqualis valoris opera meritoria & gloria seu vita æterna, ergo &c. De punitione malorum patet idem sic, quia secundū rigorem iustitiæ propter vitium ingratiitudinis meretur aliquis priuari omnibus beneficiis gratis acceptis, sed quicquid sumus & quicquid habemus totū à Deo accepimus, secundū illud Apost. 1. Cor. 4. Quid habetis quod non accepistis? ergo per ingratiitudinem quæ committitur in omni peccato mortali meretur peccator amittere secundū rigorem iustitiæ quicquid à deo accepit, hoc est quicquid est in se & quicquid habet in se, quo facto est homo annihilatus: cum ergo in punitione malorum non fiat annihilatio eorum, patet quod est ibi misericordia aliquid relaxans vt verè possint dicere illud Trenzorum. 3. Misericordiae domini, quia non sumus consumpti, quare &c.

8 AD primum arg. dicendum quod autoritas beati Iacobi intelligitur de misericordia totaliter liberatè, quæ non est in condemnatione malorum, est tamen ibi misericordia aliquid relaxans de pœna, vt dictum est.

9 Per idem patet ad secundum quia quantumvis hic & in futuro sit iudicium & misericordia, differenter tamen, quia hic est iudicium cum misericordia totaliter liberante quæ est perfecta misericordia, sed in futuro erit iudicium sine misericordia liberante non tamen sine misericordia relaxante: & quia illa non est misericordia perfecta sicut est misericordia liberans, ideo hic dicitur esse misericordia per excellentiam, ibi autem iudicium.

10 Ad tertium dicendū quod non est simile de punitione bonorum & punitione malorum, quia meritū bonorum non potest esse meritum simpliciter de condigno, quia tale meritum includit simpliciter iustum quod non potest esse inter Deum & hominem in acceptatione & retributione bonorum, sed demeritum malorum est proprie & simpliciter demeritum: imò tantò amplius demerentur quanto Deo sunt magis obligati quam obligetur homo homini, & ideo pœna quæ eis pro demeritis infligitur debetur eis secundum iustitiam proprie dictam.

Sententia huius distinctionis. XLVII.  
in generali & speciali.

**S**olet etiam queri. Superius determinauit Magister de misericordia & iustitia, hic determinat de iudicio modo. Et habet tres partes. Primò enim inquit de iudicio modo. Secundò de ministris ibi. Non autē Christus solus iudicabit. Tertio de iudiciis, prima di. 33. Solet etiam queri. Duæ primæ partes sunt præsentis lectionis, quarum secunda habet tres. Primò enim determinat de iudiciis assessoriis. Secundò de iudicandorum conditione. Tertio de iudiciis ministris. Prima ibi, Non solum autem Christus. Secunda ibi,